

falem annos quatuordecim post diluvium vixisse invenia-
tur, in quo explicando vehementer laborat Augustinus.
Hieronymum falsarium corruptoremque sacrarum litera-
rum a malevolis vocatum concedimus, sed ex eo non
potest inferri, Græcorum Codicum lectionem variasse;
ideo enim Hieronymus a quibusdam impudenter falsi ac-
cusatus est, quod textum Hebræum Vet. Test. versioni
Græcæ, & textum Græcum N. T. versioni Latinæ publice
receptæ anteferet, ac novam versionem cum fontibus
congruentem sed a versione passim recepta discedentem
adornaret. Convitio illi, quod Erasmus Hieronymo facit,
dum eum *violentum, parum prudentem, varium, sibi que parum
constantem* nominat, opponimus illud, quod idem Erasmus
in præfat. operum Augustin. *divitem Scripturarum penum in
in Hieronymo jure laudari* asserit.

17. 2. *Codicem Britannicum*, de quo Erasmus in anno-
tat. Anno 40. editis p. 770. *Ne quid dissimulem, inquit, re-
pertus est apud Anglos Codex Græcus unus, in quo habetur, quod
in vulgatis deest. Scriptum est enim ad hunc modum. ὅτι τρεῖς εἰ-
σιν οἱ μαγιστρῶντες ἐν τῷ ἔργῳ Πατρὸς Λόγου, καὶ πνεῦμα, καὶ ἁ-
τοὶ οἱ τρεῖς ἐν εἰσιν, &c.* Hic Codex Britannicus ob vetu-
statem tantæ fuit apud Erasmus autoritatis, ut versicu-
lum illum in prioribus editionibus omissum in posteriori-
bus *acuratissima cura* (ut ipse scribit) *recognitis* restitueret.
Ex hoc Britannico Codice (inquit) *reposuimus, quod in nostro di-
cebatur deesse, ne cui sit ansa calumniandi, mox tamen ad inge-
nium rediens subjicit, tametsi suspicor Codicem illum ad nostros
esse correctum.* Sed hujus suspicionis causa nulla. Ad hunc
Codem Britann. etiam provocant Beza in annot. pag.
614. & Sixtus Senens. in Biblioth. lib. 7. p. 613. 3. *Codices*
illos quos secuti sunt *editionis Complutensis* autores. Nam
in editione illa Complutensi anno 1517. felicibus auspiciis
illo ipso, quo B. Lutherus reformationis opus cœpit, anno
in publicum producta, dictum de tribus in cœlo testibus
expresse habetur. In præfatione illius operis Franc. X me-
nius